
Biblioth. Domus Busc. C.ss.R.
I 11

CATALOGUS

BIBLIOTHECAE

PUBLICAE

AMSTELAEDAMENSIS.



APUD PETRUM HENRICUM DRONSBERG,
CIVITATIS ET ILLUSTRIS ATHENAEI TYPOGRAPHUM, CIↃIↃCCXCVI.

Z
936
A524

1156017

HENRICUS CONSTANTINUS CRAS

Litterarum amanti Lectori.

S. P. D.

Equidem semper, Lector humane, sententiam probavi FACCIOLATI, quam in oratione quadam, ad humanitatem, pro sollemni ſtudiorum instauratione habitâ, his verbis protulit: „ Est aliquid „ (inquit) respondere posse de Plutarchi nomine et patriâ; quot „ in tomos ejus opera diſtribuantur; quis Latine, quis Italice vertit; „ quis primus, quis postremus ediderit; quis Anglus aut Batavus „ variis lectionibus illustraverit; ſed, quod interim vacat ingenium, „ nobilissima hominis pars, malim haec in Bibliopolâ, quam in viro „ litterato requirere." Cujus quidem viri sententiam eo minus in medium afferre dubito, quo illustriori litterarum laude floruit FACCIOLATUS suisque ipse scriptis de omnium doctrinarum studiis praeclare meritus est. Neque tamen haec ita disputavit vir summus, quòd bibliographicae cognitionis nullam utilitatem putabat, ſed quòd qui artibus ac disciplinis ipsis suam vitam consecrassent, eorum industriam latissime patenti bibliographiae ſtudio vix posse sufficere arbitrabatur. „ Video enim (nam ita pergit), quam ſit difficile haec „ omnia praestare, quae totam hominis vitam occupant; nec tamen „ illa omittere, que utilius atque honestius occupare possunt."

* Ex

Ex quo autem tempore ego Bibliothecae Amſtelaedamensi sum praefectus, quam eruditionis partem mihi antea minus cordi fuisse, ingenue fateor, ejus coepi tantam, quantam quotidiani labores, et tam Juris civilis Romani ac Patrii, quam Naturalis, Gentium ac Publici docendi munera, quae solus omnia hic sustineo, siverunt, curam assumere, tantumque mihi intelligentiae bibliographicae comparare, quantum hujus civitatis bibliothecae regendae videbatur necessarium. At his missis factis, nunc, ob quam caussam potissimum hujus praefationis scribendae consilium cepimus, eò procedamus: etenim apud animum conſtituimus, cum de publicae bibliothecae utilitate univerſe, tum peculiarius de Amſtelaedamensis bibliothecae hiſtoriâ atque ejus ordinandae ratione pauca disserere.

Bonarum litterarum ſtudiis, quae hominum ingenia mentesque excolant, nihil neque ad utilitatem fructuosius, neque ad oblectationem suavius, neque ad laudem ac dignitatem illustrius a Deo, humano generi datum esse, omnes ex antiquitate sapientes judicarunt. Etsi enim ad rem familiarem tuendam augendamve parum, at vero ad perficiendas ingenii vires, ad nobilitandum nomen ac gloriam prosunt plurimum: et, quod multo est praeclarissimum, insitos nobis a naturâ honeſtatis igniculos excitant, retrahunt a vitiis, atque ad virtutes omnes eximiae duces ac magiſtrae ſunt: tandem, quibus moribus, inſtitutis, legibus temperandae ſint civitates; quibus modis populorum defendi salus et incolumitas queat, quaque viâ et ratione rerum publicarum prosperitas, decus et splendor possint amplificari, has res omnes, tam arduas quam egregias, doctri-

doctrinarum ſtudia bonaeque litterae propriis firmisque praeceptis diligenter sapienterque concludunt.

Atque haec artium disciplinarumque laus, et, quanta illarum cum honestate morum salutisque publicae curâ conjunctio sit, brevis commemoratio quo minus intempestiva videatur, nimirum id cum hujus praefationis caussa et consilium, tum aliae rationes efficiunt. Etenim mores fere ad nimiam animi levitatem, ad arrogantiam, ad severioris doctrinae contemtum incumbere; et, ut quisque est imperitissimus, ita audacissime litteras inanes nugatoriasque ducere; nunc plurimi unius ingenii vim jactare ac vociferari magnifice, ejus ingenii bonitatem ſolam sufficere, cultaeque eruditionis facile vicem sustinere officiumque omne vel explere vel plane vincere, optimum denique magistrum esse rerum uſum, morumque humanorum cognitionem, quae fere umbraticos doctores fugiat. At Dii boni! quanta iis, qui ita clamant, ejus ingenii, quod jactant, sit bonitas, ipsi viderint: sed nos isti errori, magno certe ac pernicioso, tanto putamus severius occurrendum esse, quanto latius serpat ac dominetur, quantoque magis ei, proh dolor! alii, qui ejus damna non ignorant, cedant interdum, temporum quam veritatis amantiores. Itaque nemo, ut quidem ſuspicor, me reprehendet, si levium hominum arrogantiam, litterarum fastidium, superbiam denique et inconsideratas opiniones jactationesque, quae adolescentium animis, quos discendi videntur molestiâ liberare, inprimis insidiantur, hic paucis compescam.

Quaero igitur, rogoque istos artium doctrinarumque contemtores, quid tandem ſibi velint? Neque enim eò levitatis illos ruere

opinor, ut nullis ab antiquitate ductis exemplis amplius moveantur. Quid igitur? Qui fuit virtutis omnis specimen SOCRATES, nonne idem doctrinae ſons fuit uberrimus, ex cujus scholâ, quae postea floruerunt, omnes philoſophorum disciplinae manarunt? Nonne ejus discipuli Plato et Xenophon, quorum uterque magnae eruditionis atque eximiae in dispari genere eloquentiae gloriâ praestitit, hanc gloriam pari honestae, integrae atque innocentis vitae laude cumulavit? Nonne Xenocrates uti continentiâ ac frugalitate, ita dicendi excelluit facultate, fide autem ac justitiâ adeo, ut universus populus Atheniensis inverecundum putaret, a tanto viro testimonium dicente, jusjurandum exigi? Quid Callisthenes et tota vetus Academia? Quid Liceum, ac Zenonis et Chrysippi disputationibus nobilitata porticus, innumerabilesque philoſophi ac litterati homines, Epictetus, Seneca, Marcus Aurelius, alii, nonne tam eximia modestiae, prudentiae virtutumque omnium exempla fuerunt, quam artium disciplinarumque praeclara lumina? Nonne igitur haec omnia, quanta litterarum omnisque doctrinae cum virtute, honestate ac verâ sapientiâ necessitudo sit, abunde docent?

At fortasse haec ipsa exempla plurimis parum persuadebunt, quibus patriae nomen fere ſolum in ore est, quique patriae ad salutem omnia dictitant referenda esse: (in quâ re valde me consentientem habent, modo prima lex et ratio patriae commoda tuendi sit justitia, neque illa tam praeclara vox privati emolumenti obtegumen et involucre sit,): in horum igitur gratiam necesse erit, ut alia nonnulla huic loco propiora exempla addam.

Profectò Solon, Lycurgus, ceterique summi legislatores, quorum nomina, quòd populorum salutem excellentium legum sapientiâ

sta-

stabiliverunt, ad sempiternae gloriae memoriam sunt consecrata, nonne, quam patriae populique amantes, tam eruditi viri fuerunt, suâque eruditione ac prudentiâ civitatis quisque suae regendae ac publici imperii vim et formam temperarunt? Pericles, Themistocles, Epaminondas, ceteri apud Graecos; Lucullus, Fabius, Marcellus similesque Viri apud Romanos, non minus doctrinae studiis, quam bellicâ laude fuerunt egregii. Atque ut ad nostrae ipsius patriae lumina et ornamenta, ut ad nostrae contra tyrannos Hispanos libertatis vindices fortissimos heroesque veniamus, quis Douzae, quis Oldenbarneveldio? quis Grotio, Hogerbeetsioque? quis deinceps fratribus Wittiis, Bynckershoeckio, Slingelando, similibusque viris plurimis, aut patriae amorem neget summum ardentemque cum doctrinae praestantioris copiâ conjunctum fuisse, aut hanc illorum doctrinae excellentiam reipublicae parum profuisse audeat contendere? Aut quis tot tamque eximia exempla cogitans, etiamnum opinetur, ut quique ſint ignorantissimi incultissimique cives, ita patriae illos amantissimos publicamque ad salutem tuendam, rem unam omnium difficillimam, aptissimos fore? Imo vero, non solis viribus, non fortitudine, non magnificis verbis; sed ratione, ſed consilio, sed prudentiâ gentium dignitas ac salus, et, sine quâ nulla salus sperari potest, justi imperii vis ac majestas conservatur, quarum quidem virtutum praeceptis Graecorum Latinorumque libri abundant: nec sane eruditissimus Cicero, togatus, minus, quam fortissimi imperatores in sagis, Romani imperii auctoritatem contra nefarias Catilinariorum machinationes insidiasque defendit civitatemque a ruinâ et interitu vindicavit. Itaque meritò toties Platonis sententia laudata est, tum denique beatas respublicas

fore, si aut philoſophi eas coepissent regere, aut qui regerent, philoſophari. Ac similiter judicavit is ipse, qui unâ prope fortitudine bellicâque gloriâ excelluit, Alexander Magnus: nam a quo inſtitutus erat, Aristoteli praeceptori sese plus debere praedicavit, quam patri Philippo, a quo erat genitus. Quod si rex, si Alexander, tyrannus gentiumque innocentissimarum hostis ac latro, tam honorifice de litterarum studiis existimavit; si omnino litterarum omnisque liberalis doctrinae cum virtute, cum civili prudentiâ, cum regendorum populorum intelligentiâ, cum publicâ denique salute tanta est conjunctio, quantam vidimus; quid adeo mirum est, magiſtratus omnes veros sincerosque, ut ipsi vel amantissimi bonarum artium fuerint, vel publicae salutis certe studiosissimi, ita maxime cives ad ingenii doctrinaeque nobilem contentionem excitasse, eosque, qui in hoc certamine praeclare excellerent, honestisſimis decoraſse praemiis.

Neque suspicor, nunc amplius mirum cuiquam visum iri, quod hujus quantulaecumque Bibliothecae Catalogum in lucem edens de bonarum litterarum utilitate ac praestantiâ pauca disseruerim. Nam primùm nulla profectò non commoda honestaque occaſio est laudandi liberales disciplinas et commendandi. Deinde, quae exilior nunc pro tantae hujus civitatis decore atque amplitudine debet bibliotheca videri, ea cum litteras amantium virorum liberalitate, tum magistratuum studio ac munificentiâ, tum verò eorum, qui bibliothecae praesunt, curâ ac diligentiâ major aliquando illustriorque fieri potest. Postremò hoc ipſum est, quod ſpectavi, ut laudandis litteris et disciplinis, has ipſas disciplinas litterasque bonas

bonas omnes tuendi, aujuvandi amplificandique commendarem officium ac necessitatem: quod quidem officium ita explebitur quàm diligentissime, ſi non modo ſint, qui verâ viâ ac ratione artes disciplinasque omnes doceant, sed si necessaria etiam instrumenta suppetant in Bibliothecâ publicâ, ut, quotquot litterarum amore ducuntur, ibi nobili discendi studio suo et ardori satis possint facere atque indulgere abundantius.

Atque haec quidem universe de bibliothecae publicae laude, utilitate atque adeo necessitate, in amplissimis praesertim urbibus, disserere nos oportuit. Nunc proximum est, ut, quae de Amstelaedamensis bibliothecae historiâ exquirere potuimus, aperiamus. Sed antea quaedam, cum de cujuscumque bibliothecae publicae communi ratione et habitu, tum de nostrae propriâ formâ, nostrâque praecipuâ curâ diligentiâque, expromenda sunt.

Nimirum interest magnopere inter bibliothecam publicam et privatam: privata fere mediocritatem requirit aut saltem delectum; publica vero numerum et copiam: quippe singuli homines, praeter quosdam communes omnium disciplinarum libros, facile contenti sunt iis scriptoribus, qui cuique in singulari arte ac doctrinâ, quam tractat, habentur principes: at publica bibliotheca quòd quarumvis disciplinarum studiosis satis debet facere, necesse est non tantum, ut ex omni litterarum genere libros complectatur, sed, praeter optimos ac bonos, habeat etiam mediocres atque adeo malos futilesque, quorum multi etsi ad ipsarum artium doctrinarumque fructum parum, at tamen ad intelligenda artium initia, incrementa,

fata et vicissitudines, cognoscendamque typographiae historiam prosunt plurimum.

Omnino ab eâ perfectione et copiâ usque ad hoc tempus, longe abesse Bibliothecam Amstelaedamensem, uti dissimulare neque possumus neque volumus, ita dolemus vehementer: at vero duae caussae occurrunt, quae hanc nostram molestiam aliquantum minuant doloremque allevent. Nam primò, quod desit adhuc copiae ac numero, id hic quoque prudenti quodam compensemus delectu, ut utilissimos quosque libros maxime et ante alios comparemus: in quo genere praesertim numeramus eos, qui rarius solent in privatis bibliothecis reperiri. Atque hoc ipsum rursus de duabus praecipue caussis accidit: vel propter magnitudinem pretii, quod aegrius solvant privati, siquidem minime quo quisque litterarum amantior, eo semper ditior est: vel propter voluminum numerum, quem vix capiant aedes privatae, cujusmodi sunt cum thesauri, operum collectiones, societatum litterariarum acta atque celebriorum Europae academiarum lucubrationes, tum autem ephemerides similiaque scripta, quae de novis libris referunt disciplinarumque progressus explicant. His addo catalogos nobiliorum Europae bibliothecarum, qui saepe multis voluminibus comprehensi ad libros, qui de unoquoque doctrinarum genere exponant, cognoscendos notitiamque litterariam omnem intelligendam prosunt. Quae quidem omnia librorum genera quo rarius ob eas, quas diximus caussas, in privatis bibliothecis habentur, eo studiosius quaeruntur in publicis, neque frustra ibi quaeri eos oportet.

Deinde (quae altera nos consolandi caussa est), quamquam te-

tenuior pauperiorque, quàm pro hujus urbis celebritate atque amplitudine, nostra bibliotheca est, at initia sunt ejusmodi, quae facile possint increscere, positaque ea fundamenta, quibus si non vastum magnificumque, at utile tamen suoque genere pulcrum possit aedificium excitari. Profectò nihil video, quod nobis hanc laetam spem impediat eripiatve: etenim, cum in externam publicorum aedificiorum formam, cum in theatra publica, in histriones, saltatores, musicos magnae saepe pecuniae ad oblectandum unice populum impendantur, (quorum sumtuum equidem prudentiam, ac necessitatem quoque, inficiari omnem nolo), num igitur in re tam gravi, tam seriâ, tam eximiâ, quâ ingenii humani perfectio, quarumvis virtutum disciplina, civitatis salus ac splendor continentur, parcimoniae laudem quaesituros esse patriae civiumque amantes magistratus, mihi persuadeam? Si (quod faxit Deus!) bona pax advenerit, laetioresque nobis dies exorti sint, quam modicum forte, ditioribus semel impositum vectigal, non quidem ad magnificam et splendidam, sed ad probabilem tamen utilemque bibliothecam instruendam sufficiat? Accedit alia caussa, quae spem nostram fulciat: nam, si modica, quae ex urbis aerario quotannis debetur pecunia, a bibliothecae praefectis diligenter in libros coëmendos locupletandamque bibliothecam erogetur, annorum decursu necesse est, ut, quae tenuior fuit quondam, atque est etiamnum pauperior bibliotheca, ea sensim ampla divesque evadat. (a). Tandem, si nulla esset bi-

(a) Ut primùm ad Bibliothecae curam accessi, amplius centum opera, atque sexcenta volumina Bibliothecae addidi. Certe quidem, si annua trecentorum florenorum pecunia post annum 1633 sedulò ad augendam Bibliothecam impensa fuisset, emtorum horum librorum valor superaret summam 50000 florenorum.

bibliotheca, sane non haberent docti litterarumque amantes viri, ubi de eâ bene merendi studium suum explerent: at nunc est quantulacunque bibliotheca; est magna satis, quam sua liberalitate instruant, augeant, ornent viri munifici, quemadmodum eam sic a praeclaris viris quondam auctam fuisse, postea narrabimus. Atque hoc quidem meum de nostrâ bibliothecâ judicium ne cuiquam majorem officii ac studii, quam veritatis et sententiae auctoritatem habere videatur, agedum pauca quaedam, eaque haud contemnenda opera, commemoremus Etenim habet Bibliotheca Amstelaedamensis, praeter ceteras Bibliorum praestantes editiones, eorum Belgicam versionem, quae etsi non certâ fide ad annum 1477 vel 1488 refertur, est certe antiqua (a); habet etiam Patres plerosque et Concilia; habet Alcoranum, Talmud, Oceanum Juris, Pandectas Florentinas, Avicennam, Hippocratis et Galeni Opera, Medicae artis principes, Rhazen, Aldrovandum; habet Aristotelem cum interpretibus Graecis et Latinis, Boëcii primam editionem, Platonem Serrani, Corpus Byzantinum, Thesauros antiquitatum, Muratorium, Homeri editionem anni 1488 Eustathiumque in Homerum Romae editum; habet omnes auctores in usum Delphini editos, praeter unius Ciceronis scripta philosophica (b); habet denique Academiarum Societatumque Litterariarum acta et commentationes, quae postea narrabuntur. Atque inter manu scripta opera, praeter eximia CORNELII et PETRI HOOFTIORUM autographa, habet, quibus sola nostra forte Bibliotheca gloriari possit, Veteris Testamenti libros Turcice versos omnes, unis exceptis Mosis libris, quos nunc Nicolaus Guilielmus Schroeder, in Academiâ Groninganâ

Lin-

(a) Vid. in Catalogo pag. 6. N. 37 et 38.

(b) Qui deërat Auſonius, eum nuper addidi.

Linguarum Orientalium et Antiquitatis Hebraicae professor possidet, atque commercium epistolicum Caroli Schaaf, scriptaque Syriaca, de quibus in librorum manu scriptorum enumeratione referetur. Est igitur, quod his exemplis volui, ejusmodi nostra bibliotheca, in quam litterarum studiosi viri sese liberales munificosque praebeant. Certe, quae sub Batavae libertatis incunabula, quando ei Janus Douza vir eximius praeerat, pauper admodum modicaque Leidensis Bibliotheca fuit, quaeque a donatis a Guilielmo I. duobus operibus, Bibliis regiis, atque Judaeorum Talmud initium cepit, ea insequentibus temporibus, cum aliis caussis (a), tum donationibus atque legatis, tanta incrementa tantamque amplitudinem adepta est, ut cum plurimis Europae bibliothecis de principatu contendat, atque libros nunc vix capiat locus: itaque de alio loco circumspiciendo, novoque aedificio exstruendo saepius cogitatum est, sed nihildum perfectum: optandum vero, ut tandem perficiatur.

At tempus monet, ut ad bibliothecae Amstelaedamensis historiam paucis enarrandam procedamus.

In hac celebri urbe, quam cum communis omnium indoles Batavorum atque industria, vivendi quoque ratio, ac situs regionis et opportunitas, tum propria Amstelaedamensium magistratuum prudentia, mature ad mercaturae prosperitatem quamdam ac florem evexerunt, pridem quoque litteras aliquo modo adamatas fuisse, forte verisimilis quorumdam conjectura est (b); adduntque alii,

(a) Isaaci Vossii bibliothecam, Academiae Leidensis curatores totam ab heredibus emerunt.

(b) WAGEN: *Histor. Amst.* vol. III. L. V. §. 1.

centum amplius annos ante constitutum nostrum Athenaeum Illustre, hic publicam etiam bibliothecam fuisse (a): cujus rei in magnis tenebris quae indagare ego vestigia atque deprehendere potui, paucis indicabo.

Vixit seculo xv. Janus quidam Eggertus ſive Eggartus, Hartgersi filius: hic una cum uxore, ex voluntate Jani Eggerti Wilhelmi filii, (qui idem Wilhelmus, ditissimus in hac urbe mercator, judex, ac Purmerendae toparcha, Novi Templi extruendi atque Mariae et Catharinae consecrandi sumtus pro magnâ parte sustinuisse perhibetur (b)), is igitur Janus Eggertus, ejusque uxor Wendelmuda, in veteri templo, Nicolao dicato, seminarium quoddam instituerunt hac lege et conditione, ut rector reliquique quatuor sacerdotes et clerici nonnulli adolescentibus euangelia eorumque glossas ac postillas, quas dicebant, ac philosophiae quoque, qualis quidem tunc temporis tradebatur, praecepta rationemque explicarent. (c). Atque haec res videtur caussam dedisse opinioni, eodem tempore ab eodem Eggerto institutam in Veteri Templo bibliothecam publicam fuisse, quae postea, exstincto illo seminario, (de quo post annum 1478. nihil amplius legitur) in Novum Templum, atque ex eodem tandem in Athenaeum nostrum migraverit: cujus quidem conjecturae, quae artis quoque typographicae vixdum erumpentis tempori non admodum consentit, nulla certa indicia reperi: accedit, qui postea in Veteri Templo fuerint libri, eos neque in Novum Tem-

(a) PONTAN: *Rer. Urb. Amstel.* Lib. II. c. 26. p. 230. WAGEN. d. l.

(b) WAGEN. *Hist. Patr.* vol. III p. 327. Conf. enumeratio magistratuum, quam HERM. NOORDKERK Privilegiis Amstel. praemisit, ad annum 1417.

(c) CASP. COMMEL. *Hist. Urb. Amst.* vol. I. p. 427. WAGEN. vol. III. Lib. V. p. 646.

Templum, neque ex eo in Athenaeum illustre esse translatos: qua de re deinceps nonnulla exquiram.

Quod tamen ita nos contra communem opinionem de publicâ Veteris Templi bibliothecâ disputavimus, non in eam volumus sententiam accipi, quasi nullos omnino in illâ aede sacrâ putemus libros fuisse. Solebant contrà templa, maxime parochialia, suos libros habere, primum scriptos; dein post inventam usuque frequentatam divinam artem, typis etiam descriptos. Habuit igitur Nicolai Templum euangeliorum libros; habuit sententiarum Petri Lombardi collectiones, similiaque opera, quibus forte seminarii doctores sacerdotesque olim usi sunt, et quibus deinceps alia accesserunt: cui rei indicio sunt, quae pluribus libris, in nostram bibliothecam etsi serius translatis, adscriptae etiamnum formulae leguntur ac fidem faciunt, eos quondam ad Vetus Templum pertinuisse, quamquam, in hujus Templi historiâ enarrandâ, de his libris eorumque caussâ et origine tacent plane scriptores. Id unum narrat WAGENARIUS, fuisse tales libros, quos Commelinum secutus temere suspicatur, postmodum ad Aedem Novam translatos esse, quod longe secus est: istorum enim librorum Veteris Templi, qui nunc partem bibliothecae nostrae occupant, nulla mentio in ſuperiori Catalogo facta est: quod certe arguit, eos libros a Novi Templi libris disjunctos, neque igitur unà cum iis, sed postea demum Illustris Athenaei Bibliothecae additos fuisse: at, quo proprie anno, quâque de caussâ id acciderit, cognoscere non potui.

Quod ad Templum Novum attinet, illud Guilielmi Eggerti

sumtibus partim exstructum esse diximus: ſed de institutâ ibi ab eo aliisve bibliothecâ nihil est memoriae proditum. At habuit tamen haud secus quam Vetus Templum, ex sacrarum aedium consuetudine, aliquam bibliothecam, quam Pontanus etiam commemorat (a), quaeque cum pietate ac studio bene merendi de aede sacrâ, tum verò, praesertim postea, liberalium virorum de litteris bene me-

(a) PONTANUS *Rer. Urb. Amſt.* Lib. II. c. 8 et 27. ubi: *Nec interim promiscue omnibus accessus ad eam patet, ſed si qui sacrarum praesertim et meliorum litterarum mystae sint, claves conceduntur ab iis, qui rei huic et toti aedi curant: quo etiam spectat epigramma, interioribus foribus additum ejusmodi:*

Quisquis vir intras literas doctus bonas,
Tumultuosa ne move fores manu;
Nec turbulento fac solaecismum pede,
Musis molestus. Deinde si quem repperis
Intus sedentem, dic salutem cernuus,
Nutuque muto: nec capesse fabulas:
Heic occupatos alloquuntur mortui.
Mox lector acquiesce libro sedulus,
A quo magis surgas bonus, quam doctior,
Doctrina multis digna res est laudibus.
Nescit latinè, quisquis heic frangit nuces:
Nescit latinè, quisquis heic agit nihil.
Mirare, vincti cur catenis Codices
Stent, ceu locis haud sponte contenti suis?
Hoc pulcher, haud turbandus ordo postulat:
Simul cavendum maxime est, Fur ne domum
Exportet, aut in auctionem perfidus;
Probi videntur saepe, qui sunt improbi.
Quem volvis, illum Codicem haud corrumpe, neu
Grassare pennâ paginas contaminans
Doctas ineptà, barbarâ Latinulas,
Haec qui malus non audit, exesto procul.

Atque hi similiter Jambi hypomnematici, a. C. Plempio, cive et poëta Amstelaedamensi compositi, in posteriores bibliothecae catalogos sunt translati.

merendi voluntate ac munificentiâ fuit aucta, id quod nonnullorum librorum adscriptiones testantur (a). Inter hos verò munificos donatores excelluit JANUS VERHEE, hujus urbis prope finem seculi XVI senator et judex, quem in praeclaris historiarum libris, elegantis ingenii virum vocat ipse summo ingenio summâque egregiae doctrinae copiâ praestans PETRUS HOOFT Cornelii filius (b): cujus Verhaei ex liberalitate pretiosissimus liber, Eustathius in Homerum, ad Novi Templi Bibliothecam accessit, uti affirmavit Verheykius (c), nequè id sine caussâ virum affirmasse opinor, quamquam, si quae hujus donationis olim indicia isti libro adscripta fuerint, ea novis tegumentis, quae postea is liber induit, perierunt.

Cete-

(a) Bibliis Nicolai de Lyrâ haec adscripta verba sunt: *Liber Parochialis, beate Marie Virginis Oppidi Amſtelredamensis, ex gratiosâ donatione circumspecti viri Joannis, filii Joannis Gherardi Benning, consulis curie Hollandice. oretis Deum pro eo.* Similes formulae adscriptae leguntur aliis libris, veluti Bibliis Lovan. 1547. operibusque Chrysostomi, Ambrosii, Alberti Magni, Jo. de Turrecremata ac Bonaventurae in Alberti Magni sententias, Lamberti de Monte in Aristotelem: cui postremo libro haec adscripta sunt: *Liber Parochialis Eccleſie beate Marie Virginis oppidi Amstelredamensis, ex inter rivos donatione providi ac discreti viri Petri Colyn, artium liberalium magistri, scabini et consulis oppidi praefati. Oremus Deum pro eo.* Joannis vero Gersoni opera, anno 1488 edita, haec verba adscripta habent: *Liber Parochialis Ecclesie beate Marie Virginis Oppidi Amstelredamensis: ex legato venerabilis viri domini ac magistri, Cornelii Ghysberti filii, in ſacra theologia licentiati. Orate pro eo.* Aliquoties adscripta reperimus: *Ex dono Jacobi Nicolai: Ambula prudenter.* Atque haec exempli caussâ attulisse satis est.

(b) *Histor* pag. 1199. haec scribit HOOFTIUS: *Leycester werdt heuslyk bewelkoomt in Latyn, door Scheepen Jan Verhee, perſoon van bekoorlyk vernuft, en toen genoopt van naaryver, die de reede te ryzender maakt.*

(c) In dissertatione, quam in virorum eruditorum sodalitio, cujus symbolum est *Concordia et libertate*, recitavit, cujus mihi copiam fecit viri docti vidua, femina honestissima.

*****

Ceterùm, fuisse etiam in Novo Templo librorum scriptam notitiam sive catalogum, idem Verheykius testis est, cui catalogo donatorum nomina adscripta fuerint: at ei haec notitia haud visa est superare medium seculum XVI, quod ex donatorum aetate editionumque annis conjicit; simulque memorat catalogum ab Aeditimis anno 1622 editum; cujus tamen usque ad annum 1620. neque donatorum numerus ultra 18, neque librorum multitudo ultra 80 volumina processisset, quamquam non omnium donatorum nomina isto catalogo affirmat comprehensa fuisse, sicut ei ex nonnullorum librorum adscriptionibus constiterit. Haec vero ex Verheykii dictâ dissertatione retulisse satis est, de quibus ego, qui neque illam scriptam notitiam neque Aedituorum catalogum typis descriptum vidi, statuere nihil possum. (a).

Itaque constitit jam quodammodo de utriusque, tam Veteris quàm Novi Templi libris: sed agedum, quo modo quaque de caussâ isti libri in Athenaeum migrarint, nunc exploremus.

Ac Novi quidem Templi Bibliotheca quondam non urbis, sed ejus aedis sacrae videtur propria fuisse, quamquam factâ anno 1578 rerum civilium et sacrarum commutatione, unà cum templo ceterisque rebus sacris ad urbem pervenit: ac ne ita quidem omnium civium patuit usui, sed, quod ex Pontano apparuit, eorum tantùm, quibus ejus vellent copiam facere aeditimi vel aeditimiorum princeps, qui Bibliothecae videtur praefectus fuisse. Hujusmodi praefectus etiam

(a) Adscripsit etiam posteriori catalogo manu suâ PETRUS BURMANNUS SECUNDUS haec verba: *Elenchus Codicum M SS Bibliothecae Amstelaedamensis habetur apud* Sanderum Part. II. Biblioth. Belg. M. SS. p. 43-45. *descriptus ex catalogo hujus Bibliothecae edito Amst.* 1622.

etiam prope finem seculi XVI fuit Matthaeus Sladus, natione Anglus, qui, etsi operarius modò, eam tamen Graecarum Latinarumque litterarum peritiam probavit, quae ei primùm ad secundi praeceptoris in gymnasio Amstelaedamensi munus, deinde hujus muneris honore, ad Petri Plancii V. D. ministri filiae nuptias viam aperuit. (a) Atque hos Novi Templi libros in Athenaeum Illustre traducendi caussa accidit plane singularis: nam, qui in Veteri Templo convenire consueverat senatus ecclesiasticus, eum deinceps in Novo Templo congregari placuit: sed, quod in hoc Templo isti conventui inserviret conclave, angustius erát, neque totum facile coetum capiebat: itaque hoc consilium probabat magistratus, ut conclave illud proximâ templi parte, ubi libri erant, augeretur, librisque alius quaereretur locus. Atque forte fortunâ haec res incidebat in eundem illum annum, quo Athenaeum Illustre est fundatum, Vossiusque et Barlaeus huc vocati sunt, qui bonas artes disciplinasque adolescentes docerent. Itaque haec sane quàm apta visa est opportunitas Novum Templum libris liberandi, eosque transferendi omnes in Athenaeum: quod aedificium, S. Agnetae quon-

(a) HENR. VERHEYK Orat. ſecular. *de antiquitate et vicissitudine scholae Amstelaed.* Amst. 1778. pag. 55. In Bibliothecae quoque catalogo posteriori anni 1711 PETRUS BURMANNUS SECUNDUS suâ manu haec adscripsit: *In Bibliothecâ Amstelaedamensi fuit olim Codex M. S. Graece, quo continebantur Isaaci Porphyrogeniti characteres Graecorum et Trojanorum, qui bello Trojano interfuerunt, cum Nili et Photii conciliorum Indice: ex hoc codice, beneficio P. Scriverii descriptum Isacium Porphyrogentium edidit Rutgersius Lib. V. Var. c.* 20. *sed qui testatur, se postea a* Matthaeo Slado, *Bibliothecae praefecto intellexisse, librum illum plagiariorum scelere ereptum periisse. Apud Sanderum etiam pag.* 44. *dicitur* scelestâ manu sublatus abesse. Haec BURMANNUS. Vid. etiam de Slado CHR. SAXII *Onomasticum Litterarium*, eruditissimum utilissimumque opus, vol. V. p. 138 et seq.

quondam dicatum monasterium, ac postea collegii archithalassici horreum, Athenaei illustris professoribus ita concessum est, ut rei maritimae praefectis inferiores partes relinquerentur, mediae in auditoria converterentur, superiores vero adaptarentur ad Bibliothecam recipiendam custodiendamque, ex quo demum tempore proprie ibi civitatis bibliotheca publica fuit, civiumque usui certis diebus horisque patuit. At a furum audaciâ et improbitate erat cavendum: itaque libri ex istorum fere temporum consuetudine suis quique thecis seu pluteis, ferreis catenis vincti alligatique fuerunt: quae tamen dura providentia praestare non potuit, quin surriperentur complures: de quo furandi scelere ac pariter de commodatos libros restituendi negligentiâ, in utrisque catalogis annorum 1668 et 1711 querelae leguntur, additis precibus cohortationibusque, ut quos quisque ex bibliothecâ liberalissime utendos accepisset libros, restitueret quam promptissime.

Cum hisce autem Aedis Novae libris in Athenaeum Illustre pariter migrarunt alii quidam libri, quos quondam ad Fratrum Minorum coenobium pertinuisse, adscripta illis verba declarant (a). Istos libros conjecit Verheykius (b), quo anno 1566 popellus expilabat illud coenobium, a quodem Petro Kies Jani filio in proximam Novi Templi aream transmissos, atque ita cum ejus Templi Bibliothecâ conjunctos fuisse, cum quâ deinceps simul, uti vidimus, in Athenaeum migrarunt.

Tan-

(a) Formula fere haec est: *Ad usum Fratrum Minorum Conventus Amstelredamensis.*

(b) Dictâ disſertatione, in eruditorum virorum sodalitio lectâ.

Tandem sunt pariter in Bibliothecâ alii quidam libri, ut plurimùm Pontificiam theologiam, theologicasque controversias explicantes, quorum librorum in fronte, ac saepius in circulo quodam, adscriptae litterae sunt J. B. vel aliquando integra nomina *Joost Buyck:* quos libros Petrus Schaak, praeterito seculo Bibliothecae praefectus, cum in cistis reperisset, impetravit a consulibus, ut minores quaedam thecae ad parietes fierent, in quibus eos ordine collocaret. Suspicatur autem Schaakius (a), Jacobum (nam ita vocat) Buyckium, consulari familiâ oriundum fuisse, quòdque a partibus Hispanorum stetisset, profugum et exulem Calcariae Clivorum Sacra Romano ritu administrasse. Omnino per totum fere seculum XVI ex Buyckiorum familiâ plurimi cum consules ac judices, tum thesaurarii, pupillorum praefecti aeditimique fuerunt, usque ad annum 1578, quo vicit Protestantium religio, atque haec urbs Hispanorum partes deseruit: quo tamen ipso anno adhuc in magistratuum enumeratione, quam HERMANUS NOORDKERK, Jurisprudentiae quondam decus, Urbis Amstelaedamensis privilegiis praemisit, Sybrandus Buyk Justi filius, judex, et Justus Buyck, pupillorum praefectus, memorantur: at post illud tempus non nisi semel Henricum Buyck, Ergastuli praefectum anno 1595 reperi. Quod superest, quid de libris Justi Buyck post ejus profectionem factum sit, et quomodo quave de caussâ ad Athenaeum pervenerint, difficile dictu est. Forsitan cuiquam probetur conjectura, commutatis anno 1578 rebus, profugi Justi Buyckii bona publicata fuisse, librosque cistis conclusos, diu

(a) In praefatione, in Catalogo anni 1668. libris minoris formae praemissâ.

diu ita custoditos, ac tandem in Athenaeum translatos: at sunt, quae hujus conjecturae vim minuant. Nam nonnullis libris, qui annis demum 1581 et 1587, quin imo 1602 editi sunt, eaedem litterae J. B. adjectae sunt, certo documento, non continuò post discessum Justi Buyck anno 1578, ejus bibliothecam pertinere ad Buyckios desiisse (a).

Atque haec fere fuit, quam descripſi, origo Bibliothecae: quae ut primùm exsisteret formamque esset aliquam nacta, continuò necessitas apparuit ejus, qui hujus Bibliothecae curam gereret: at haec curà non ad Gerardum Johannem Vossium, quod putavit D'Orvillius in oratione, qua Athenaei illustris diem festum secularem celebravit, sed ad filium ejus Dionysium delata est, amplo ei pro istis temporibus ac liberali trecentorum florenorum annuo honorario constituto (b). Mortuo Dionysio anno 1642 successit alter magni Vossii filius Matthaeus (c): quo similiter defuncto anno 1646 bibliothecae praefectura illi Isaaco Vossio data est, qui Hollandiae Procerum fuit historiographus. Etenim PETRUS BURMANNUS SECUNDUS, hujus Bibliothecae praefectus, ipse suâ manu ad ultimum catalogum anni 1711 adscripsit confirmavitque, in inscriptionibus episto-

(a) Aurelius Augustinus a. 1581. ac Lipsii opera a. 1600. item Biblia Hispanica a. 1602. litteras J. B. habent adscriptas. Quinimo Arnobius L. B. 1651. editus habet nomina, cum Johannis Amstelraedamensis olearii pastoris in Amsterveen, tum *Jacobi Buyckii*, atque hujus etiam versus, quibus beati Augustini dictum (quo tempore obsidionis inter belli calamitates sese consolabatur, cap. 28. ipsius vitae) expressit.

(b) Burgemeesters Comptoir, *Bibliotheek*, Oud Raad L. A. fol. 99 et fol. 99. verſ. unde descripsit Henr. Verheyk.

(c) Vid. GER. JOH. VOSS. Ep. 534. p. 501.

epistolarum M. SS. quas dicto anno 1646 Daventriâ ad Isaacum Vossium dedit Jo. Fr. Gronovius, hunc Vossium, Historiographum Hollandiae ac Bibliothecae Amstelaedamensis praefectum nominari (a). Isaaco Vossio Arnoldus Senguerdius (b); Senguerdio Joannes Heidanus successerunt: post quos Gerardus Leonardus Blasius Medicinae professor, Cornelius Dankerts, V. D minister, ac deinceps ceteri, modò V. D. ministri, modò illustris Athenaei Professores, modò ipsi senatores atque adeo consules hoc munus administrarunt.

Quando igitur et Illustre Athenaeum et Athenaei Professores publicaque Bibliotheca esse coeperunt, ejusque bibliothecae cura doctis viris fuit tradita, de eâ locupletandâ seriò est cogitatum. Nam statim primo instituti Athenaei anno 1633, cum Lugduni Batavorum pretiosa quaedam bibliotheca venderetur, mille florenorum ex hujus urbis aerario in librorum emtionem concesserunt magistratus (c), factaque praefecto potestas est emendi quotannis libros augendique bibliothecam usque ad certae pecuniae modum; quem tamen excedi interdum, non aegre tulerunt amplissimae hujus urbis mo-

(a) En BURMANNI verba: *Isaacum Vossium, G. J. filium Bibliothecae Amstelaedamensis praefectum fuisse, patet ex epistola M. S. Joh. Frid. Gronovii, Daventriae* 1646. *scriptâ: illius enim inscriptio est:* Edelen Hooggeleerden Heer, Myn Heer, Isaacus Vossius, Historieſchryver van de Heeren Staaten van Hollant en West Frieslant, Bibliothecaris der Stad Amſterdam, ten huize van zyn Heer Vader G. I. Vossius, aldernaest het oudemanhuys. *Eadem inscriptio saepe in seqq. Gronovii ad Is. Vossium epistolis reperitur.*

(b) WAGEN: *Amst.* Vol. VI. 3. p 314. ed. in 8°.

(c) Burgemeesters Comptoir *Bibliotheek* Oud Raad L. A. fol. 99. 2 Maart 1633.

moderatores, quippe qui doctrinam cultumque ingenii maxime decere nobilem civitatem, felicitatisque publicae non minimam partem ducebant: cujus rei argumentum est, quòd anno 1646 praeter consuetos trecentos florenos adhuc quadringenti sunt erogati (a). Itaque catalogo anni 1668 jam typis descripto, appendicem librorum, quos Heidanus, Dankertsius, ipseque Schaakius emerant, hic addidit. Atque haec incrementa, utcumque modica, tamen aliis accessionibus caussam dederunt. Ex quo enim luculentius apparuit, doctrinarum studia hujus civitatis moderatoribus curae esse, haec res inprimis divitum litterasque amantium virorum excitavit erga Bibliothecam munificentiam. Itaque uti olim jam BENNING et VERHEE ceterique, ita nunc HUDDE, BAS ac TULP (b) consules, itemque GERARDUS PAPENBROECK judex, atque alii, erga Athenaeum ac bibliothecam omnesque bonas litteras sese praestiterunt liberalissimos.

Atque hìc Papenbroekii cum facta sit mentio, praeclari viri singularem munificentam praeterire religio sit. Nam qui, flagranti in bonas artes amore egregius vir, senatûs ecclesiastici conclave duodecim praestantium Christianae religionis emendatorum iconibus ornavit, idem non modò PETRI HOOFT Cornelii filii (at quanti viri!) scriptos ipsius auctoris manu libros Bibliothecae impertiit, sed etiam insuper cùm Ciceronis et Caesaris marmoreas imagines, atque Palmyrae sollerti imitatione expressa rudera, tùm 48 virorum,

(a) Ibidem fol. 199. verſ.

(b) Quae supra pag. x. memoravi Biblia Belgica, a TULPIO in Bibliothecam profecta sunt: qui donavit etiam cum alios libros, tum HEROLDI *Orthodoxographiam*, cùi libro adscripta sunt haec verba: *Bibliothecae Amstelaedamensi d. d. Amplissimus, spectatissimus, Dominus, D. Nicolaus Tulpius, M. D. reipublicae Amstelaedamensis Exconsul, Senator, Thesaurius, Archiater, Ao.* 1655.

rum, tam civilium rerum peritiâ sapientiâque quam artium et doctrinarum laude insignium icones donavit: quae nunc unà cum aliis, quae postea accesserunt, pictis imaginibus, Illustris nostri Athenaei majori auditorio haud parum ornamenti dignitatisque adjungunt. Quemadmodum verò magna vis inest in exemplis, ita horum virorum liberalitas officiaque deinceps aliorum quoque incenderunt studia: namque anno 1772 et marmorea et picta imago Ruischii, ex ejus pronepotis N. DE SWAAN Henrici filii dono (a), atque porro Gerbrandi van Leeuwen (b), Petri Francii, Johannis Burmanni, Petri Burmanni Secundi, Petri Curtenii icones pictae ex heredum voluntate accesserunt. HENRICUS VERHEYK quoque, ce-

(a) FREDERICUS RUYSCH, anatomiae et botanices professor fuit Amstelaedami, ac praecipuarum Societatum Litterariarum Socius: hic natus Hagae Comitum anno 1636 patre *Henrico Ruysch*, matre verò *Annâ van Berghem*, quam ad 93 annos vitam perduxerat, anno 1731. d. 23 Febr. deposuit. Agens annum 84 adhuc librum in lucem edidit; sed in praefatione significat, sensim sibi minui scribendi studium atque in posterum otiandi consilium esse: attamen annum aetatis 88 ingressus etiamnum anatomiam publice docuit. Proavus ejus fuit Ruysch, Nicolai Ruysch filius, civitati Amstelaedamensi primùm a consiliis, deinde Hollandiae ac Westfrisiae fisci patronus, ac mortuus anno 1604 Ruyschiorum vero summa generis antiquitas celebratur, atque ad Novum Forum quae quondam porta fuit, *Hermanni Ruyschii porta* appellata fuit. Anno jam 1363 *Jacobus Ruysch* Nicolai filius, urbis Amstelaedamensis judex memoratur. Quod verò inter Athenaei illustris Professorum enumeratione non occurrit *Fredericus Ruysch*, ejus rei caussa est, quòd anatomiae ac botanices professores anno denique 1755, ex consulum decreto, cum ceteris Athenaei professoribus conjuncti sunt, ut unum collegium efficerent cuncti. Qui autem viri docti, Martinus Coster Jani filius, Sebastianus Egberti filius et Nicolaus Tulp, hujus urbis omnes consules, atque item alii fortasse eruditi medici, anatomiam ac botanicen hic docuerunt, ii ante constitutum Athenaeum illustre non videntur professorum nomine usi esse.

(b) Qui primus hic theologiae professor fuit. WAGEN. *Amstel.* vol. VI. 3. p. 333. Anno 1784 viri imaginem donavit Athenaeo J. G. NOORDBEEK Ictus.

****

celeberrimi theologi Johannis Cocceji; GALE GALES Ictus, Bernardi Nieuwentydt; JACOBUS HOVIUS, eximius quondam hujus civitatis medicus, Hermanni Boerhaven pictas imagines donarunt.

Magnopere verò dolendum est, praesertim antequam Verheykius ad Bibliothecae praefecturam accesserit, tamdiu eam neglectam fuisse. Certe quidem, cum anno 1746 ad Janum Six consulem bibliothecae cura pervenerat, is statim sequente anno quingentos florenos annuos impetravit ad eam locupletandam (a). Verùm haec liberalitas deinceps nullam propemodum utilitatem attulit: nam nihil fere librorum emebatur, nihil donabatur; plurimi libri fuerunt commodati nec redditi; plurimi quoque blattarum tinearumque epulae putrescebant in thecis, ut ejici et ad flammas damnari debuerint; atque ipse locus adeò ruinam minitabatur. Sed haec omnia cœpit Verheykii restituere studium ac diligentia: nam is obtinuit, primùm, ut fulciretur aedificium atque instauraretur locus; deinde quoque, ut libri vinculis liberarentur, novaeque thecae circumdarentur cancellis, qui sine ferrearum catenarum durâ necessitate sceleratas furum manus arcerent: impetravit itidem Verheykius octingentos florenos ad novos libros emendos: itaque CORNELII HOOFT Petri Patris opera scripta manu, comparavit; atque anno etiam 1779, quo Antonii Wilhelmi Schaaf M. D. bibliotheca vendebatur, ex consilio Diderici Walraven Viri Cl. emit Commercium Litterarum CAROLI SCHAAF, linguarum Orientalium quondam in Academiâ Lugduno-Batavâ Professoris, quod is habuit cum *Mahá Thome*, sive Magno Thomâ, apud Syros Chris-

(a) Athenaei Illustris Acta p. 18.

Christianos in Malabariâ Episcopo; itemque anno 1783, rursus suadente Walraveno, ex Thomae Viroot V. D. M. venditis libris Vetus Testamentum, Turcice versum atque in solutis chartae plagulis nitide scriptum, Bibliothecae addidit: de quibus Orientalis eruditionis monumentis ut deinceps posset diligentius exponi, ejusdem Diderici Walraven liberalis opera efficit, quippe qui nullum hominis litterarum amantissimi mihi officium denegavit: itaque quas ei debeo habeoque gratias, eas debere me atque habere, palam profiteor. Ceterùm, ut ad Verheykium redeam, hoc ei quoque datum est, quoties bonos libros quosdam comparandi esset opportunitas, ad quos emendos annua pecunia non sufficeret, ut ne majorem pecuniam frustra peteret, dum de eâ re cum Illustris Athenaei curatoribus ageret. (a)

Henricus Verheykius autem, qui anno 1778 in Bibliothecae praefecturam Petro Burmanno Secundo successerat, anno 1784 in coepto instaurandae bibliothecae labore mortuus, libros vinculis solutos quidem, at omnes pristinis locis motos, nullo catalogo descriptos nullisque numeris designatos reliquit. Itaque, ut in ejus successi locum, prima mihi cura esse debuit, ut ordine collocarentur libri; quos idcirco necesse erat omnes antea excutere, omniumque inscriptiones, editionum loca et tempora, nomina, praenomina cognominaque scriptorum, ac numeros voluminum cujusque operis explorare diligentius et notare: qui quidem ac reliquus omnis labor, uti perquam ingratus ita fere infinitus fuit, imo tantus, ut, si, quantus futurus esset, antea prospicere ego potuissem, nulla

me

(a) Athenaei Illustris Acta p. 56.

me (quod ingenuè fateor), invitamenta ad tantam molestiam suscipiendam. permovissent (a). Saepius dolui, Verheykium, virum sedulum diligentemque, in hoc coepto labore mortem oppressisse. Neque enim is alias reliquit nisi inchoatas annotationes descriptionesque, quae uti ipsi, quòd probe sciebat, quò pertinerent, ad novum catalogum describendum profuissent, mihi quidem nihil prodesse, neque inglorii laboris magnam molestiam ac difficultatem ullâ ex parte allevare potuerunt.

Altera mihi cura fuit, ut, quod nimis diu praefectorum securitate erat neglectum, Bibliothecam novis et maxime necessariis consentaneisque libris, quoad possem, augerem. Quam rem meditanti mihi haec praesertim ratio, tanquam publicae bibliothecae conjunctior aptiorque, fuit probata, ut ejusmodi potissimùm libros compararem, non, quibus utcumque bonis nemo litterarum studiosus facile carere solet; sed quos vel pretii magnitudo vel numerus voluminum, vel utraque caussa fere a privatis bibliothecis repellit. Itaque ex consilio, quod supra laudavi, nostrae bibliothecae comparavi inprimis adjecique celebriorum Europae Academiarum lucubrationes; nimirum Parisiensis doctrinarum Academiae commentationes, quae prope centum volumina; atque inscriptionum et elegantiorum litterarum, quae tria et quadraginta volumina; tum utriusque Academiae, Berolinensis ac Petropolitanae scripta, ex quibus prioris opera quadraginta, posterioris octo et triginta volumina explent. Quibus addidi centum atque octo et viginti volumina Actorum Lipsiensium, cum Veterum tum Novorum, itemque Miscel-

(a) Quid enim nisi insuavissimi hujus laboris magnitudo ac difficultas, Leidensis Bibliothecae praefectos prohibuit, ne post annum 1716, librorum, qui tot annorum lapſu ad Bibliothecam accesserunt, ullum Catalogum vulgaverint?

cellanea Berolinensia, Italica, Bremensia, Lubecensia, atque simili ex genere opuscula litteraria, octoginta voluminibus comprehensa. Taceo observationes Hallenses, Societatis Latinae Jenensis et Academiae doctrinarum, quae Augustae Taurinorum sedet, commentarios; item Acta Societatis artium disciplinarumque Hollandiae, quorum jam 30 volumina exierunt; tandem Societatis utriusque Teylerianae atque instituti Stolpiani Leidensis, selectasque Academiarum Europae dissertationes; Rasschii Lexicon universae rei nummariae; commentationes denique, quae quatuordecim voluminibus Sinensium res, artes doctrinasque exponunt, Academiaeque Electoralis Moguntinae Acta. Quibus similibusque operibus, quae recensere omnia non attinet, si novum vastumque opus addo, ante paucos annos in Galliâ vulgari coeptum, et cujus jam fere ducenta et triginta volumina exierunt, Encyclopaedeam dico, quae ex integro ſecundum rationem ordinemque materiarum digeritur, haec igitur omnia opera, aliosque libros si numerem, verè affirmaverim, me multis diversis operibus, et plurimis voluminibus Bibliothecam Amstelaedamensem amplificasse (a).

Quod denique ad modum describendi libros collocandique attinet ordinem, constat sane de instruendis ordinandisque bibliothecis haud pauca scripta esse vulgata, quorum auctores alii alias et contrarias saepe vias rationesque probent. Hanc verò rem consideranti mihi facilitatis commoditatisque placuit ratio, nostroque in catalogo id

pu-

(a) Emi quoque anno 1785 THEODORI JANSONII AB ALMELOVEEN scripta manu plurima, quae vir doctus anno 1712 moriens legaverat Henrico Sypestein, V. D. M. in pago Doorn; item Scriptionem, quae ad Litem pertinet, quae inter Leidae atque Amstelaedami conſules de Athenaei instituendi jure agitata est.

